

16.

DISPUTATIO ASTRONOMICA

*De*  
**STELLIS FIXIS**

*quam*

In Illustri Academiâ Witteber-  
gensî

*Publicæ Eruditorum Ventilationi*

*Subjicit*

P R A E S E S

**M. JACOBUS SCHNITZLERUS**

Cibinensis, Saxo-Transylvanus,  
&  
RESPONDENS

**ANDREAS MARQUARDI,**

Stralsundâ-Pomeranus,

Ad diem 29. Jan. Horis antemerid.

*In Auditorio Minori.*

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
Anno M DC LIX.

*Xmas - 71*

PLATEA  
2094.  
"B" varians.

*Telp*

# THESES ASTRONOMICÆ

1.

Urorem esse mensuram mundi quosdam animo agitasse prodidit Plinius insignis Naturæ Mystes. Furor verò iste sit penes illos qui humi serpunt neq; audent oculos ad pulcherrimum Coeli palatum attollere, digni Melanchtonis judicio quibus eruantur. Potius nos pro summâ & divinitus concessâ felicitate æstimamus Doctrinam illam quæ tractat rerum sublimium contemplationem adeoq; suffragante Ovidio, *Felices animas quibus hec cognoscere primū*, *Inq; domos superas scandere cura fuit, nil prorsus morati quorundam avontócarū hq; à Qeovéscárū*, ut Plato loquitur, sinistra judicia, sive quod non sit de pane lucrando, sive quod maximis difficultatibus sit involuta Cœlum à nobis remotissimum sensuum judicium declinasse videatur. Habet in se sat utilitatis divina Astræa quâ cultorem afficit. Nec obstat vasta cœli Terræq; intercapedo ; habemus alas, non quidem Dædaleas nec Icarias, sed platonicas, *Arithmetica* & *Geometria*, queis sine omni metu licet evolare ad extremos usq; cœli limites jucundo otio, queis, inquam, lustrare licet Phæbum Phæbeng; sororem.. Repant humili omnes uaðημάτευοsores, Cœlum nos meditabimur & sublimia lustrabimus. Sit ergò.

2. *Stellæ fixæ* (alias *Inerrantes dictæ*) sunt stellæ luce, quantitate egregiâ & figurâ quam proximè globosâ prædictæ, in octavo cœli orbe seu regione perpetuò mobiles, si tumq; & ordinem eundem, eandemq; ad se invicem distantiam & habitudinem retinentes. Fixæ dicuntur hæ stellæ non ideo quod cœlo affixæ à sphærâ sua circumferantur, ipsæ interim in se immobiles existentes, quemadmodum Aristoteles & qui eum hâc in parte seqvuntur, credidit, quod dogma ortum suum dicit ex falsâ hypothesi, quâ statuitur stellas homogeneam cum cœlo habere essentiam neq; secùs differre ac partes densiores à toto rariori; nec etiam ideo quod absolutè fixæ & immobiles sint; sed quia eandem semper tūm à Terrâ tūm à se invicem obtinent distantiam, idem intervallum, eundem situm, secùs

Az

ac



ac planetæ, qui tūm sibi ipsis, tūm terræ fiunt modò propiores modò remotiores, unde etiam dicuntur stellæ erraticæ sive Errones, non simpliciter sed in respectu ad stellas fixas.

3. Has Stellas lucidas esse ex perpetuâ luminis evibratio-  
ne uti omnibus patet, ita non æquè certum est an lux illa sit na-  
tiva & Stellis propria, an ascititia & à Sole mutuata, an verò na-  
tiva & mutuatitia simul? Sunt qui opinantur non tantum  
fixas sed & planetas lucem suam à Sole tanquam fonte omnis lu-  
cis receptam in hæc inferiora ejaculari, neq; secus lumen de se-  
ipsis spargere ac Terram, quæ in se cum luce propriâ carerat, ni-  
hilominus lumen à Sole receptum reflectat in corpus lunare;  
idq; si de planetis sermo sit, esse in Lunâ omnium optimè con-  
spicuum, quippe quæ menstruo quovis spatio lucem suam à  
Phœbo mutuatam certâ sui parte deponat rursusq; reasumat,  
quod verò in stellis fixis ejusmodi luminis accrementa & decre-  
menta similesq; figuræ visu nostro non observemus, fieri ob-  
nimmam ipsarum à nobis remotionem, neq; tamen semper appa-  
rere eas eadem quantitate, sed modò minores, modò majores  
ob causam prædictam. Pro quâ sententia ex Antiquis citantur  
*Metrodorus apud Plutarchum Lib.2. de placitis philosoph. cap.17.*  
*Albategnius cap.30. Vitellio Lib.4. pag.77. ex recentioribus Era-  
simus Reinholdus in Theoricis pag.163. Blancanus, Scheinerus,*  
aliiq;.

4. Alii tamen secus sentientes statuunt Stellis fixis  
in sitam esse lucem propterea quod supra Solem locatæ in  
ipso purissimo æthere sint, ubi quicquid sit, lux naturalis &  
propria dicenda veniat, in quâ sententiâ olim fuit *Macrobius*  
*Lib.1. in Somnium Scipionis Cap.19.* quia d hæc Stellas omnes, exce-  
ptâ Lunâ suprà Solem collocat, Idem de stellis fixis censet  
*Keplerus in Dissertatione cum Nuntio Sidereo pag.9.* planetis tamen  
exclusis, itemq; *Galileus à Galileis*, *Mathematicus Florentinus*,  
celebrisq; ille errorum Jovialium inventor *Dialogo 3. de Systemate Cosmicō*. His *Renatus Cartesius* suum addit calcu-  
lum, fixas omnes à se lucere asserens neque Sole minores esse  
at planetas omnes à Sole lucem accipere utpote vicinos atque  
obru-

obtusiori lumine lucentes part.3. Princip. philosoph. num.9.  
& seq.

5. Quam verò frustrâ pro priori sententia allegetur ma-  
xima illa fixarum distantia patet ex accuratioribus recentiorum  
Astronomorum adminiculante telescopio observationibus,  
ubi utiq; evidenter appareret luminis earum diminutio & accre-  
tio; tantum verò abest unquam simile quid compertum esse,  
ut potius jamjam citatus *Galileus* asserat fixas radios suos veluti  
fulgores circumcircâ vibrare itâ ut præ nimio splendore ne qui-  
dem circulari peripheriâ terminatæ conspicî possint, in *Nuntio Sidereo* pag.16. quod verò nunc minores nunc majores apparent  
causa esse potest tūm visus noster malè dispositus, tūm aer vapo-  
ribus undiquaq; refertus tum refractio potissimum tempore ma-  
tutino & vespertino, veluti docetur in opticis.

6. Frustrâ etiam secundò solis Stellis fixis attribui lucem  
in sitam, exclusis planetis, liquet ex Eclipsibus lunaribus, ubi o-  
mnino adhuc aliqualis lux, et si ob admixtam opacitatis copiam  
per quam debilis, in Lunâ lumine mutuatatio orbata visus acri-  
moniâ prædictis observatu est possibilis, quod tamen, si luna  
omni plane luce nativâ careret fieri non posset. Accedit testi-  
monium Scripturæ Sacræ, quæ expressè stellis promiscue omni-  
bus lucem assignat quando Gen.1. ex luce primævâ facta sunt non  
tantum Sol & Luna sed & omnes rel. quæ stellæ. Et Danielis 12.  
*Qui adjustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas  
aeternitates.* Cum igitur concedatur stellas fixas propriâ gau-  
dere luce, eandemq; Sacer codex omnibus indifferenter attri-  
buat stellis, sequitur utiq; Planetas quoq; ut fixas quamvis in-  
æquali mensurâ, in sitam atq; propriam obtinere lucem.

7. Nostra sententia est stellas fixas cùm erraticis habere  
tūm propriam tūm mutuatitiam lucem, id quod quidem de pla-  
netis ex variis lunæ phasibus evidenter verificatur. Fixas quod  
attinet, utut quidem de iis apodicticas spondere demonstratio-  
nes vix audeamus, non est tamen ut ob meras conjecturas, nul-  
lis rationibus roboratas à sententia & Sacræ Scripturæ & Cos-  
moplastæ majestati & Naturæ non obscurè consentaneâ rece-  
damus, donec non firmioribus id evincatur argumentis.

8. Quoad luminis vehementiam arbitramur respectu Terræ Fixas neutiquam ita subcœlestia lumine suo stringere ut planetas, neq; hos ut Solem, quippe Sol omnium fortissimè illuminat terram. Quod si verò ob remotiorem distantiam | Sol sub tantâ diametro cerneretur quanta est stellarum fixarum in hypotyposi copernicæ, hæq; ob propinquicrem sub diametro Solis, invertenda veniret sententia. Cum autem hoc neq; nunc fieri possit neq; unquam futurum sit, oleum operamq; perdere illos censemus qui prolixas super his & similibus instituunt dissertationes neq; ad utiliora bonas impendunt horas.

9. A luce manare videtur scintillatio, utpote quæ nihil aliud est quam tremula luminis in oculum receptio, at undenam ea fiat & ex qua causa, diversas reperias opiniones. *Johannes Baptista Ricciolius Tomo 1. Almagesti Novi Lib. 6. Cap. 2. sex* recenset distinctas sententias de scintillatione stellarum inerrantium. Prima est eorum qui id fieri opinantur à visu nostro ad visibilia longinquè remota trepidante, in planetis verò contrarium accidere quia sint nobis propiores. Ita *Aristoteles Lib. 2. De Cœlo. Cardanus, aliig.*. Secunda eorum qui scintillationem stellarum adscribunt varietati medii & vaporum, ob perpetuam nempè corpusculorum in aere divaricationem & motitationem. Ita *Scheinerus* in Disquisitionibus Mathematicis num. 34. *Bettinus, Blancanus &c.*, quorum tamen quivis mentem suam aliter atq; aliter explicat, quod verò planetæ neq; perinde neq; semper scintillent fieri ideò quia neq; perpetuò neq; eodem modo crassiores & aquatici vapores intercedant. Hinc Scheineri conclusio num. 35. hæc est: Stellarum scintillatio est unica & sola specierum in oculum delapsarum intercisio, facta ab irrequietâ vaporum varietate affectorum intercursatione. Tertia opinio adscribitur Conimbricensibus, qui causam rejiciunt partim in infirmitatem visus nostri partim in exhalationes atq; vapores varias spargentes species lib. 2. de cœlo cap. 8. Quartò *Brunus Lib. 4. de maximo & immenso*, in ipsis stellas causam refert, ut quæ moveantur circa proprium centrum, unde necessariò ejusmodi tremulatio sequatur.

10. Quin-

10. Quintò Stellarum scintillatio à *Tychone Tomo 1. Progymn. cap. 6. Keplero in Epitome Astronomie Copernicana pag. 815.* aliisq; recentioribus, tūm stellis ipsis insensibiliter motitatis, tūm vaporibus se passim intersinuantibus attribuitur, Keplero tamen more suo alibi aliter atq; aliter loquente, quod verò planetæ neq; æqualiter neq; eadem constantia pariter scintillent, fieri ob vaporum intercursantium varietatem, quæ aliquando major, mox minor, nonnunquam vix nulla. *Sexta* tandem sententia à *Riccioli adscribitur Scaligero* qui in Exerc. 63. prædictas opiniones ferè simul sumptas approbat, asserens causam scintillationis stellarum, motum aeris, luminis in stella, stellæ in seipsa, quibus tamen adjungit magnitudinem atq; claritatem.

11. Nos uti alias Tychonem tanquam genuinum Astronomiæ Atlantem & restauratorem felicissimum magnificamus, ita & in hoc negotio ejusdem sententiæ subscribimus dicimusq; Stella s fixas perse & propriè scintillare, in planetis verò id non nisi per accidens fieri neq; perpetim neq; æuali constantia. Si autem quæ majoris momenti nobis opponi videantur, ea conflictui reservamus cum singula pagellarum non capiat angustia.

12. *Stellæ fixæ insigni gaudent quantitate.* Corpora sunt magna magnum Creatorem clarè referentia, quis enim ex admirando effectu mirandam non arguat. Efficientis potentiam? De quantitate Stellarum fixarum aliter senserunt veteres aliter recentiores ipsis etiam inter se diversimodè statuentes. In genere quidem constat apud omnes plerasq; fixas saltem visu notabiles Terræ molem excedere, nonnullas pluribus quasdam paucioribus vicibus; in specie verò quænam sit ejusq; stellæ fixæ magnitudo, accuratè vix à quoquam determinari potest, cum & distantia & apparentium diametrorum observatio, quæ hic loci præsupponuntur, accurata haberi non possit.

13. Fixas hasce stellas quantitatem globi terreni superare, facile probari potest ab experientia ex duabus stellis diametraliter invicem oppositis. Sumantur enim duæ stellæ, v.g. *Cor Scorpii seu Antares* & aliqua propè oculum Tauri sive *Aldebaran* è diametro priori opposita, & apparebit eo momento quo una ori-

oritur alteram occidere; & rursus dum una occidit alteram simul oriri, quod tamen si Terra stellis hisce major foret, ita accidere non posset, nam propter magnitudinem Terræ una stellarum infrâ Horizontem depressa non appareret, altera verò conspiceretur non in Horizonte sed circulo Almucanharath, adeoq; nec simul ab oculo observari possent, quod tamen fieri posse experientia notum est.

14. Stellarum harum magnitudinem planè certam haberi non posse dictum est; ratione tamen lucis atq; apparentis magnitudinis dividuntur in sex Magnitudinis classes, quarum *Ima Magnitudinis* v. g. Sirius, Capella, Lyra, Arcturus &c. juxtâ *Alphraganum* 108. at juxtâ Tychonem 68. vicibus maiores Terra existunt; *IIde*, veluti Polaris in ursa minore alias Cynosura dista, itemq; septem teriones iu ursa majori, Caput Andromedæ &c. juxtâ *Alphraganum* 90. at ex mente Tychonis 28. ferè modis terra maiores existentes; *IIIde*, quales in Hercule, Pegaso, Orione &c. videre licet, juxtâ veteres 72. at juxtâ Tychonem 11 vicibus Terram magnitudine superantes, *IVde*, quales pléræq; in Dracone, Equuleo juxta veteres 54 vicibus at ex mente Tychonis tantum Terra maiores; *Vde*, quales in Aquila, Aurgia &c. conspicuntur ex mente Veterum 36. modis at juxtâ Tychonem ne semel quidem terra maiores, & *VIde*, quales in Cassiopeja, Corona, Delphino & passim observare licet, juxta veteres 18. vicibus maiores, at ex mente Tychonis ter fere minores Terra globo existentes.

15. Sunt & aliæ stellæ quas *obscuras* vocant quæ quia visum nostrum ferè fugiunt, de earundem magnitudine nil certi constat. Deniq; *Stelle nebulae* sunt quæ albedinem quandam instar nubeculæ de se spargunt suntq; congeries minutissimarum stellarum, quarum luculæ conjunctæ speciem alboris ostentant, quales in præsepe Cancri notare licet.

16. Huc referenda est *Galaxia* alias κύκλος γαλαξίας græcis, Circulus s. orbis lacteus, à candore lactis quem repræsentat, dicta, quæ est tractus diversæ latitudinis & densitatis in Cœlo conspicuus, Äquatorem obliquo tramite Tropicosq; inter-

currans, multitudine stellarum undiquaq; refertim consitus. De hac Ovidius Lib. i. Metamorph. hos cecipiit versus:

Est via sublimis caelo manifesta sereno,  
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,  
Hac iter est superis ad magni telli Tonantis  
Regalesq; domos &c.

Fabulantur Poëta Phætonem cum equis Solis exorbitantem totam hanc cœli partem combussisse, unde adhuc characteres conspicui sint. Manilius lib. i. cap. 9. inquit:

Illæ Solis equos diversis cursibus esse  
Atq; aliam trivisse viam longumq; per ævum,  
Exustas sedes incertæq; Sidem flammis  
Caryleam verso speciem mutasse colore.

Falsam esse Aristotelis de via lactea sententiam, quâ statuit eam nihil aliud esse quam meteorum ab exhalationibus in aere ortum patet ex perenni constantia & motu perpetu ab ortu in occasum, quod meteoris competere nemo nisi omnium rerum Astronomicarum & Physicarum ignarus affirmabit.

17. Figuram stellæ fixæ habent sphericam si non exactè tamen quam proximè talem. Nolumus hic vana recensere hominum commenta, quæ tot figuræ stellæ tribuerunt quot in his inferioribus animadvertisimus. Sensibus standum quādiu nullas audimus rationes. Sane quacunque ex parte Terræ eas aspicimus semper facie eadem nobis apparent, quod non contingere si aliam quam rotundam haberent figuram. Nec quidquam obstant, si quæ reperiuntur, aspredines prominentes vel concavitates latentes, ut quæ collatae ad totum stellæ corpus, non magis ejusdem officiunt rotunditati ac montes Terræ.

18. Neque tamen autumnandum stellas esse planas quemadmodum nobis apparent instar discorum, vel prout à pictoribus repræsentantur multis angulis acutis prominentes. Constat enim ex opticis corpus rotundum convexum procul distans oculo apparere ut planitatem, propter angularum visorum varietatem, multiformem, id quod ex turri rotundâ

B eminus

eminus conspecta luculentum est. Multiplex illa angulorum acutorum apparitio non tam in stellis & per se quam à stellis & per accidens est, iterum ex causa optica, ob radios pyramiditer oculos nostros ferientes.

19. Fixis in octavâ sphærâ, quæ Græcis Cœlum ἄπλαντις quasi inerrans dicitur, locum assignamus, cuius nomine intelligitur omne illud spatium quod suprà Saturnum stellis est constitutum; & de iis quidem quæ à planetis nonnunquam obtieguntur velut Sol à Luna, quales sunt Zodiacales, res videtur esse evidens; de reliquis verò cum eodem modo eundem motum, idem interstitium perenni regula observent, idem esto judicium. At verò exiguâ nonnullæ, nonnullæ verò, vastâ intercapidine à Saturno distent, adeoque aliæ sint altiores aliæ humiliores, non omnino liquet. Nos cum Tychone Tom. I. progymn. pag. 470. id admodum verisimile censemus, ne cœlestis opificis munificentiam cancellis atque angustiis mentis nostræ coarctare videamur, quemvis tamen sensu suo abundare permittentes.

20. Moveri stellas hasce motu primo ab ortu in occasum omnium experientur oculi, & quidem dispari velocitate: quæ enim à polis remotissimæ v. c. in Aequatore, celerimè; quæ in medio, ut in Tropicis, celerius; quæ prope polos, tardiùs circumgyrantur, ita tamen ut quævis spatio diei naturalis gyrum suum h. e. integrum ferè absolvat círculum. Moventur etiam stellæ motu secundo ab occasu in ortum quamvis lentissimo neque nudis oculis observabili, juxta Tychonem annuo spatio 51. minuta secunda, adeoque 20. Annis præter propter unum gradum. Denique moventur stellæ istæ non conversione, nec volutatione, aliæs enim modo hanc modo illam ostenderent faciem; sed progressione circulari, veluti id demonstrat *Excellentissimus Dn. Notnagelius, Praeceptor noster optimè meritus in Synopsi Astron. postul. VI. pag. 168.*

21. Nolumus hic facere cum Copernicæis, Galilæo, Keplero, Landsbergio, Bullialdo, aliisque, qui motum stellis de-

denegant eumque Terræ tribuunt, neque prolixii erimus in refutando hoc figmento, annotabimus tantum breviter quot quantæque incommoditates, quarum tamen nullum haec-nus monstratum est fundamentum solidum, in Astronomiâ propullent; posito enim *Terra motu* eoque triplici, *Diurno*, *Annuo* & *Inclinationis* sequitur exinde neque easdem Stellas esse perpetuò Verticales, neque altitudinem poli constantem, neque integrum hemisphærium propter terræ excentricitatem, suprà Horizontem à nobis contueri posse, nec eosdem esse planetarum aspectus, nec easdem eorum latitudines, neque phases Lunæ Eclipsesque tām hujus quam Solis perinde apparere posse, ut alia silentio prætereamus. Cūm verò constans in his sit regularitas, neque ejusmodi mutatio unquam comperiatur aut comperta sit, commentum hoc de quiete stellarum atque triplici Telluris motu merito explodimus atq; exulare jubemus.

22. Non equidem ignoramus quid ad hæc singula respondere soleant Copernicani, nempè *magnum Orbem*, quem vocant, per quem tellus annuatim movetur, esse puncti instar respectu sphæræ fixarum, unde licet in Cœlo respectu nostri revera aliqua detur mutabilitas, eam tamen nos nequam advertere posse, sicuti id *Petrus Gassendus in Institut. Astronom. pag. 140. refert.* Sed nos hujus assertionis fundamenta adhuc desideramus & hanc Cœli stellati immensitatem atque stellarum vastitatem probari cupimus idoneis argumentis.

23. Nec hili est ficta, quæ prætenditur, pernicitatis cursus stellarum impossibilitas. Quantò magis absurdâ est insana illa fixarum à terra distantia. Nil apud Deum æternum Naturæ Authorem impossibile; neque quid eum potuisse facere nobis videtur, sed quid actu fecerit, ponderandum, ut adeò miremur *Mæstlinum in Additionibus ad I. Rhetici Narrat.* hunc stellarum motum simpliciter impossibilem vocasse.

24. Considerantur stellæ fixæ vel absolutè, vel relativè. Absolutè consideratæ sunt vel ordinariæ vel extraordi-  
nariæ. Ordinariæ sunt, quæ ab initio mundi semper conspi-  
cūx fuerunt & adhuc conspiciuntur. Extraordinariæ, quæ singu-  
larī Dei dispensatione ad certum tantum tempus conspi-  
ciuntur. Talis apparuit Anno 1572. in *Cassiopeja*, item  
Anno 1556. in *Balaena*, Anno 1604. in pede *Serpentarii*. Dif-  
ferunt hæ stellæ à Cometis, quod isti caudam vel barbam o-  
stentent illæ verò contrà: isti ex uno signi gradu in alium &  
ex signo in signum transeant; illæ autem semper uno codem-  
que conspiciantur loco. Differunt à planetis (1) Loco seu di-  
stantia ab invicem (2) Distantia à terrâ quam eandem reti-  
nent secus ac planetæ (3) Scintillatione constanti, cùm Er-  
ratice nonnisi aliquando & per accidens scintillent.

25. Differunt inter se stellæ fixæ ordinariæ, Magni-  
tudine quatenus in sex distinctas distribuuntur classes; dif-  
ferunt etiam colore & splendore utpote quarum quædam ve-  
hementer, quædam mediocriter, quædam parum aut nihil  
fulgent; differunt & Configuratione dùm aliæ Triangulum ut  
*Deltoton*, aliæ rectam lineam, ut *Cingulum Orionis seu Bacu-  
lus Jacobi* & tres in *Aquila*, nonnullæ Quadratum, ut qua-  
tuor in *Ursa Majori*, itemque in *Pegaso* constituunt; dif-  
ferunt denique Scintillatione, qua aliæ frequentius aliæ remis-  
sibus visum nostrum ferire videntur.

26. Relativè considerantur stellæ fixæ, prout vario situ  
certisque figuris inclusæ respectum ad se invicem habent, atq;  
*Asterismorum seu Constellationum nomine* veniunt. Suntq;  
Asterismi vel *Zodiacales* vel *Extrazodiacales*. Illi sunt qui à  
Zodiaco, circulo cœlesti vel potius tractu majori comprehen-  
duntur, dicto ἀπὸ τῶν ζῳῶν i.e. animantibus, eo quod Signis  
sive Asterismis in hoc Circulo contentis præcipue nomina ani-  
malium indita fuerint, & sunt duodecim dicta alias δωδεκάτη-  
μορφα his inclusa versiculis:

*In sunt Signifero bis sex cœlestia signa*

Sunt-

Suntq; *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*  
*Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*  
Extrazodiacales sunt vel Septentrionales seu Boreales, vel Me-  
ridionales seu Australes. Illi sunt qui à Zodiaco versus Se-  
ptentrionem declinant, suntq; memoria gratiā his comprehen-  
si carminibus:

*Ad Boream verò ter septem conspiciuntur:*

*Ursa Minor, Major, Cynos, Draco, Gemma, Genuj;*  
*Prolapsus, Lyra, Olor, Cepheus, & Cassiopeja,*  
*Perseus, Andromede, Deltoton, Auriga, Caballus,*  
*Rictus Equi, Delphin, Telum, binc Aquila, Angvifer,*  
*Angvis.*

Australes sunt qui à Zodiaco versus meridiem seu Austrum de-  
flectunt, suntq; sequentes:

*Denig, converti ter quinq, notantur ad Austrum:*  
*Cetus, & Eridanus, Lepus, Orionis & astrum,*  
*Sirius, & Procyon, Argo ratis, Hydras, Crater,*  
*Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Coronas, pisces.*

Horum quidam Asterismi sunt nobis in nostro Horizonte ob-  
positum Sphæræ obliquum perpetuò conspicui, nunquam ori-  
entes nec occidentes & vocantur perpetuae apparitionis ut *Ursa*  
*major, Ursa minor, Draco, Cepheus, Cassiopeja, Perseus, Lyra,*  
*Aquila, Cygni quoque & Aurigæ atq; Andromedæ pars.*

27. Sunt & aliæ quædam *Constellationes* recentiores,  
postquam plaga Meridionalis Nautarum industria detecta  
est, inventæ, priscis temporibus non observatae, & sunt no-  
bis perpetuo inconspicuæ nec orientes nec occidentes; un-  
de etiam *perpetuae occultationis* vocari consueverunt, hoc in-  
clusi disticho memoriali:

*Phœnix, Grus, Indus, Xiphias, pavo, Anser, & Hydrus,*  
*P.anser, Apus, Triquetrum, Musca, Chama queleon.*

Minores denique etiam notavit antiquitas *Constellationes* ut  
*Plejades & Hyades in Tauro, Praesep & Aselli in Cancro, Capella*  
*cum Hædis in Erichtonio &c.*

B 3

28. *Origo*

28. Origo Asterismorum uti obscura est, ita parum refert scire an simul an successivè hæc nonina figuris cœlestibus sint indita. Sufficit quod partim memoriae juvandæ causa, partim ob similitudinem & convenientiam cum his inferioribus, partim ob illustrium personarum præclara facta æternitati consecranda, ut & ob efficaciam atque influentiam singularem in res sub cœlestes, ingeniosè excogitata atque applicata sint. Antiquissimam verò esse hanc denominationem sideralem præter *Hesiodum*, *Aratum*, aliasque Scriptores Prophanos testaretur Sacer codex, nisi obstare viderentur voces in textu fundamentali existentes כְּסִיל וּכְיַתָּה שׁעַ quæ quidem *Arturo*, *Orioni*, & *plejadibus* rectè attribuuntur, non verò ut nominis antiquitatem sed siderum horum proprietatem potius exprimant. Job.9/9. & 38/31. Amos.5/8.

29. Quoad numerum Asterismorum apud Antiquiores Authores is modò est major modò minor, partim ob omissionem alicujus sideris, partim ob duorum reductionem ad unum, partim ob divisionem unius in plura. Ita Equiculus à multis omittitur, Ganymedes verò ad Aquilam reducitur, ab aliis verò hæc in duo distincta sidera dispescitur. Ptolomeus recenset 48, omisisse Eqvuleo, quem reducit ad *Pegasum*, & *Antinoo* atq; *Comæ Berenices*, quos pro informibus habet, illosque nos anteā enumeravimus, adeoque Astra antiquiora sunt 48. vel si addantur Eqvuleus atque Antinous 50. & recentiora 12. thesi 27. notata, in universum autem 60. vel 62. prout conjunctim vel disjunctim accipiuntur.

30. Hoc Loco non immerito mentionem facimus Astrorum quæ, abolitis prophanis Ethnicorum nominibus, sacrâ insignivit nomenclaturâ Julius Schillerus *Actus Augustanus*. Hic enim Anno 1627. edidit *Cælum Stellatum Christianum*, in quo antiquas et receptas siderum Imagines abollendas esse conatus est persuadere, ut quarum nonnullæ cœlestissimorum hominum referant memoriam aliarumq; rerum, ut ferarum, monstrorum: quæ sint indignæ majesta-

te il.

te illâ cœlesti, unde ipse pro 12. Signis Zodiaca libus substituit nomina XII. Apostolorum & pro characteribus diacriticis assumpsit instrumenta, quibus Martyrio affecti sunt, disticho illi Ausoniano, quo 12. Zodiaci Signa notantur, hoc surrogans;

*Clavis, Cruxmajor, Baculus, Scyphus, Hasta, Sudisq;, Crux, Culterq;, Bipennis, Serra, & Clava, Securis,*

Reliquis verò Sideribus tam Borealibus quam Australibus aliorum Sanctorum rerumque quibus uū sunt, nomina indidit. Ita Ursam Minorem appellavit Michaelm Archangelum, Ursam Majorem, Naviculam S. Petri &c.

31. Præter rem verò Schillerus in hac denominatione religiosus fuit, unde etiam Scopo atque intentione sua frustratus est. Absit supersticio & fides à fabulis istis exulet, & omnis res erit in vado. Quomodo enim vetustos intelligemus Authores, hujus denominationis ignari? Rectè monet Copernicus Lib.2. Cap.14. priscas Astrorum hasce formas retinendas esse, propterea quod tanta eorum multitudine per partes facile hoc modo discernatur & antiquo satiis instituto apud Homerum etiam nominatim legantur, quod & Celeberrimus Tycho innuit Tomo I. Progynn. quando tres adducit causas, involucra abstrusa cujusdam notitiae, Antiquitatem atque approbationem diuturnam, siquidem verendum, inquit, ne posthabendo veteres stellarum denominationes, quod figmentis ac fabulis nitantur, alias de novo introducere non detur nisi & hic fingere atq; quidvis pro libito conformare liceat.

32. Quærimus tandem, *Anne stellarum absolutè sumptarum numerus sit infinitus?* Respondemus, si stellæ numero essent infinitæ requirent etiam infinitum spatium, quale in natura nullum esse potest, neq; difficile est numerum excogitare, qui stellarum numerum multis modis exsuperet. Sunt tamen innumerabiles ab hominibus neq; earundem numerus certus à quoquam determinari potest, quod & Dei ipsius assertio-

sertioni quadrat, Abrahamum Gen.22,17. ita alloquentis : multiplicabo semen tuum ut sit sicut stellæ cœli & sicut arena quaë est in littore maris. & Psalm. 147, 4. *Jehovâ suppeditat numerum stellarum, quotquot sunt nominibus vocans.* Apparet id etiam ex nudo oculorum aspectu utcunque, alius enim præ alio, pro oculorum acumine, plures vel pauciores observat stellas, ut silentii populo involvamus quot quantæque beneficio conspicilli Galilæani in Orione, Plejadibus atque aliis Astris observatae fuerint anteà à nemine ne quidem Tychone deprehensæ, quod indicio luculento est multas adhuc latere stellas in cognitas. Ita nimirum Astripotens Astrorum conditor potentiam

suam revelare voluit ! cui Soli gLoriA Magna, LaVs,

*PlenDorgj perennIs In astrIs.*

Baruch 3,34.

*Jehovâ vocante stellas, splenduerunt ipsæ, in stationibus suis latentes, & dixerunt, adsumus:  
Splenduerunt cum latititia coram factore suo.*

ברוך יהוה לעולם

